

Samuel Schelwig

**Autoritate Magnifici Ac Amplissimi Senatus Gedanensis, Solennem  
Inaugurationis Actum, Quo Vir Clarissimus, Dn. M. Daniel Gradus, ... Die VII.  
Octobris, M. DCC. Favente Numine, ... Athenaei Rector, Samuel Schelguigius, ...**

Gedani: Stollius, [1700]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818666633>

Druck Freier  Zugang





[Blank yellow label]

Hb  
9<sup>1-12</sup>



Hb - 9<sup>1-12</sup>

GEBUNDEN BEI  
W. SCHORNACK  
ROSTOCK 1/M.  
GRÜNER WEG 5.











Q. F. F. Q. S.  
AUTORITATE  
MAGNIFICI AC AMPLISSIMI  
SENATUS GEDANENSIS,  
SOLENNEM INAUGURATIONIS ACTUM,  
QUO  
VIR CLARISSIMVS,

**DN. M. DANIEL  
GRADIUS,**

DANTISCANUS,

IN ATHENÆO PATRIO,  
PROFESSIONI PUBLICÆ  
GRÆCARUM HEBRAICARUMQUE LITERARUM,  
DIE VII. OCTOBRIS, M. DCC.

FAVENTE NUMINE,  
NEC SINE BONORUM APPLAUSU,  
ADMOVEBITUR;

MORE CONSVETO INDICIT,  
AD EUMQUE

LIBERALIUM STUDIORUM  
*PATRONOS, FAUTORES  
ET ÆSTIMATORES,*

EA QUA PAR EST  
SUBMISSIONE, OBSERVANTIA ET HUMANITATE,  
INVITAT;

JUVENTUTEM VERO MUSIS NOSTRIS ADDICTAM,  
PERAMANTER CONVOCAT

ATHENÆI RECTOR,

**SAMUEL SCHELGUIGIUS,**  
S. THEOL. D. ET PROF. PUBL. ATQUE  
ECCLESIAE AD SS. TRINIT. PASTOR.

---


GEDANI,

Excudit JOANNES ZACHARIAS STOLLIUS,  
ATHENÆI TYPOGRAPHUS.





Ullum omninò, inter nomina sequiori sexui competentia, in Ecclesiasticis Historiis reperitur, quo tot foeminae, ex sanctitatis opinione claræ, olim insignitæ fuerint, quàm BRIGIDÆ. In solâ enim Hiberniâ quot non Divæ hujusce appellationis, colentium genua labiaq; fatigarunt? Severinus Ketinus l. 1. de Regibus Hiberniæ, earum quindecim numerat; cui Johannes Colganus *S. Theologiæ*, ut seipsum prædicat, *Lector Jubilatus*, in Triade thavmaturgâ Hiberniæ, Append. 4. c. 1. p. 611. litem quidem movet, numerum earum, quas Ketinus recenset, intra undenarium contrahens; ut tamen mox tredecim alias subjungat, de quibus fluctuans hæret, an & quæ earum cum præcedentibus conveniat, nec ne. Inter omnes verò istas celeberrima est, quæ ab Abbatia, quam rexit, Kildariensis cognominatur, ortum ex regiâ apud Hibernos stirpe ducens; cui nobis aliam non minùs celebrem, regiæ apud Svecos familiæ insertam, affociare liceat. Hæ duæ tantùm præ reliquis eminent, *quantùm lenta solent inter viburna cupressi*. Quemadmodum verò ex viris, nomen Herculis, ex eo quòd commune esset multis, occasionem Poëtis dedit, diversos inter se haud rarò confundendi: Ita foeminis his idem prorsus accidit. Kildariensi Brigidæ plurima tribui videntur, quæ fortè uni vel alteri, ex reliquis ejusdem insulæ, rectiùs adscribas. Cæterùm & ipsa Kildariensis illa, quam, cum veteres Hiberniam, Colgano teste, *Scotiam majorem*, appellaverint, Scoticam, aliorum qui Menologia condiderunt exemplo, abhinc dicemus, à Scriptoribus haud paucis cum Svecicâ miscetur. Suppetunt errantium nomina, quos longo ordine, ex Scriptoribus etiam nostris, recensere possem, nisi ex Vatibus pridem didicissem, quòd quandoque etiam *bonus dormitet Homerus, atq; opere in magno fas sit subreperere somnum*. Ne tamen posthac alius quisquam, cui nostra hæc legere contigerit, errantibus accedat, monendum esse duxi, Brigidam Scoticam longissimè à Svecicâ distare. Illa enim, si Sigiberto Gemblacensi fides habenda est, diem A. C. 518. obiit, atque ita in Seculo V. maximam ætatis exegit partem. Hujus extrema ad A. C. 1373. adeoq; ad Seculum XIV. referuntur: Illa perhibetur mortua esse ut virgo, hæc ut vidua, & quidem octo liberorum mater: Illius venerationi solæ Februarii Calendæ destinantur; hujus tres in anno dies, videlicet 23. Julii, quo septuagenaria Romæ vitam clausit; 28. Maji, quo reliquiæ ejus Româ in Vastenense, regni Sveciei monasterium delatæ sunt; atque dies *ἡγουμένη*, seu ut recentioribus, invito licet Prisciano, audit, Canonizationis. Eum Baronius ad Martyrol. Roman. p. 624. tradit octavum mensis esse, quem nunc decurrimus: Molanus verò in Not. ad Ufuardi Martyrol. f. 168. a. pro octavo substituit septimum; cujus sententia vulgari fastorum calculo atque ipsâ etiam Romanæ Ecclesiæ praxi, in nostris ad minimum oris, comprobatur. Parum aberat aliquando, quin mihimet ipsi persuasissem, nomini etiam, apud utramque Divam, subesse aliquid discriminis, Scoticamq; Brigidam, Svecicam verò Brigittam, vel ut rectiùs scribi ac pronuntiari à Svecis percepì, Birgittam dici; nisi Bonifacius IX. Pontifex, in Bullâ canonizationis Birgittam hanc, etiam *Brigidam* appellari, expressis verbis docuisset: id quod in confirmatione Bullæ allegatæ repetit Papa Martinus V. His itaque Autoribus, Brigidæ nomen & Svecicæ & Scoticæ commune est; Brigittæ verò vel Birgittæ appellatio à nemine, quantum mihi innouit, Scoticæ assignatur. Sed relinquamus Scoticam Hibernis; de Svecicâ  
autem





autem nonnulla adhuc vel ideò adferamus, quòd ordinis monastici ab illà prognati cœnobium, ex Hartknochii relatione (Hist. Eccles. Boruss. L. 3. c. 7. n. 1. p. 79 1.) jam A. C. 1396. vel 1402. in Palæopoli Gedanensium extrui cœperit, atque ad nostra usq; tempora Birgittanis Monialibus hospitium præbuerit. De eà in Martyrologio Romano ad IIX. Id. Octobr. extat: *Sancta Birgitta Vidua, quæ post multas sanctorum locorum peregrinationes, divino afflata Spiritu, Romæ quævit X. Kal. Augusti. Pridie verò hujus diei in Sveciam corpus ejus translatum fuit.* Pluribus historiam ejusdem persequuntur Antoninus Histor. P. 3. Tit. 22. c. 11. Crantzius Metropol. L. 9. c. 48. 51. 52. Paulus Langius Chron. Citiz. ad A. C. 1362. &c. De Ordine à Birgittâ condito Nauclerus, Generat. 48. p. 1017. sequentia habet: *Brigitta ad Urbanum Pontificem venit, pro confirmatione nova religionis, quam constituit, mulierum atque virorum. Venit autem cum religioso & honestissimo apparatu ad Urbanum, à quo est benignissimè suscepta, ob ejus sanctitatem atq; prophetiam; regulamq; ejus confirmavit. Hujusmodi tamen religionis primum authorem Basilium dicunt, quam religionem Brigitta Spiritu Sancto inspirata, hoc modo instaurare visa est, ut scilicet virorum & mulierum adificia connexa haberentur, habitationes tamen ita sejunctæ, ut de unâ ad aliam, nisi urgente necessitate, transiri non possit. Earum tamen Basilicam censuit esse communem, ita ut fratres in inferiori parte, sorores seorsum in superiori, officium excolerent. Quorum monasteriorum principalem curam Abbatissa esse voluit: fratribus divina monasterii assignavit, quorum unus esset Confessor, & Prior appellaretur. Ea monasteria, possessiones & proventus habere statuit, omnium verò victum & vestitum ad Abbatissam spectare decrevit, nec hujusmodi fratres aut sorores monasterium egredi deberent. Hi autem religiosi, tam fœminæ quàm mares, griseis uti vestimentis jubentur cum chlamyde griseâ & rubeâ cruce desuper. Carnibus utuntur, & divi Augustini regulam profitentur, additis Brigittæ constitutionibus, quæ omnia ipsa sibi à Deo revelata asseruit. Hucusque Nauclerus. Plura & certiora de Birgittino Ordine tradit libellus Gedani A. C. 1674. editus, sub titulo: *Sancta & genuina Salvatoris, aliàs divæ Birgittæ, Regula.* Nam à Salvatore omnia, tanquam ex primo fonte accersuntur: quâ autem veritate istud fiat, collatis genuini Salvatoris ex Matth. XV. 9. verbis, Sole pomeridiano clariùs dispalescet. Ipsas Revelationes, Crantzio memorante, primus ex ore Birgittæ excepit Alphonsus quidam, quem à confessionibus habuerat. Illas postea recognovit, & Defensorio, seu ut comptiùs eloquar, Apologiâ, ad omnes Christi fideles adornatâ, muniit Johannes Cardinalis de Turrecrematâ. Recognitas denuò vulgavit, & notis illustravit Consalvus Durantus, Antwerp. 1611. fol. Seorsim in viciniâ A. C. 1683. prodierunt Orationes XV. de Passione Domini, in quibus inter alia legitur: *Birgitta sequentes XV. Orationes, ad imaginem Domini nostri Jesu Christi crucifixi, quotidie devotissimè, flexis genibus, dicebat, scire cupiens numerum vulnerum Christi, &c. Cui tandem respondit Dominus per imaginem, dicens: Quinque millia, quadraginta & sex ginta corporis mei extiterunt vulnera: Quæ si veneratione aliquâ prosequi volueris, hæc XV. Orationes & totidem Pater Noster cum Ave Maria dicas, per annum integrum, flexis genibus &c. Virtus autem orationum istarum hæc est: Quicumque eas per anni circulum, devotè frequentaverit, seu dixerit, de illius progenie XV. animæ de Purgatorio liberabuntur, XV. peccatores de ejus progenie convertentur, ac XV. justi de ejus progenie in bono statu confirmabuntur. Ipse verò propter hoc consequetur gradus perfectionis &c. Hæc credat, quisquis voluerit: Ego sanè Birgittam talia credidisse, nunquam inducar, ut credam. Similiter verendum, ne Augustinus Lubin à Svecis, imò ab exteris, qui Sveciæ perlustrandæ aliquâ**

cum



cum curâ incubuerunt, sublestæ fidei accusetur, propter illa, quæ Tabulæ VII. in Martyrolog. Rom. p. 231. appinxit: *Vastenenſis cœnobii rudera etiamnum ſuperſunt cum Capellâ, in quâ populi, obſiſtentibus licet Miniſtellis* (ita lepidus Homuncio Sacerdotes Evangelicos ſalutat) *ritu catholico memoriam S. Birgittæ venerantur.* Quæ autem Martinus del Rio Diſquiſ. Magic. L. 4. c. 1. qu. 3. Sect. 4. p. m. 560. 562. pronunciat, in Revelationibus Birgittæ nihil quicquam reperiri, quod catholica fidei ſinceritati palam repugnet, vel cum eâ conſiſtere nequeat: nescio, an probaturi ſint omnes, quibuſcum Auctori ſacrorum commercium intercedit; præſertim ſi legerint, quæ ex Birgittinis excerpta, in Wolffii Lectionibus memorabilibus Centen. 14. p. 670. ſeq. exhibentur. Mihi ea repetere nec volupe eſt, nec per chartæ anguſtiam licet.

Ad alia enim, Magnifici Ampliſſimique Senatûs noſtri decreto, vocor, novum Græcæ Hebraicæque Lingvæ Profeſſorem, in ipſo Birgittæ die, ritibus conſuetis, introducere juſſus, Virum nempe Clariffimum DN. M. DANIELEM GRADIUM, Dantiſcanum, qui in Athenæo patrio ductus & doctus, hanc Matri ſtudiorum ſuorum procul dubio gratiam referet, ut eandem, quacunquæ fieri poterit ſolertiâ, fide & dexteriſſime, ornet. Diſceſſit à nobis Anno M. DC. XXCIIX. ex Legum præſcripto, habitâ priùs, cum applauſu, Diſputatione, *de Juſtificatione & Bonis Operibus, ex Marci Eremitæ libello, de iis, qui putant ſe ex operibus juſtificari.* Hinc Muſarum, quàm feliciter exorſus erat, telam, apud Gryphiſwaldenſes, Roſtochienſes, Kilonienſes, Lipſienſes & Witebergenſes impigrè pertexuit. Inter celeberrimos, quibus Præceptoribus uſus eſt, Viros, fidelem in Lingvis Orientalibus *χρηστωρίαν* prædicat Dn. Brandani Henrici Gebhardi, Profeſſoris Gryphiſwaldenſis; Dn. L. Eſdræ F. 'zardi, Theologi Hamburgeniſis; Dn. D. Henrici Opitii & Dn. D. Theodori Daſſovii, Hoſpitiſ quondam Witebergæ, jam S. Theologiæ Profeſſoris & Paſtoris Primarii Kiloniæ. Præter Diſputationem Theologicam, quam *Tremulis modernis*, Autore & Præſide ſummè Reverendo Dn. D. Neumanno oppoſuit, proprio etiam Marte alia aggreſſus eſt. Nam ſub laudatiſſimo Dn. Gebhardo Diſſertationem *de Nomine Dei Tetragrammato* ventilavit: Hinc oratione Hebraicâ *de Idololatriâ Judeorum hodiernorum*, profeſſus in ſancâ lingvâ publicæ luci expoſuit: denique & Præſes Exercitationem Philologicam *ad 1. Cor. XV. 29. de Βαρπζοφύρις τὰς τῶν νεκρῶν* fortiter defendit. Dolum ab exteris reverſus, non ſolum vicariâ operâ, Homiliis frequentibus gregem Domini in omnibus civitatis noſtræ Parochiis, non ſine fructu, demulſit, ſed & Philologica ſtudia per Collegia, quæ vocantur, *Græca, Hebraica, Chaldaica & Syriaca*, ordinario Dn. Profeſſore non reluctantè, inſtituta, magis magisque, proſperrimo cum ſucceſſu, excoluit. Talem itaque Virum, planè inſignem, cum Magnifici Patroni publicæ & ordinariæ, quam diximus, Profeſſioni, Deo annuente, præfecerint, ille quidem munus demandatum oratione *de Odio, quo Judei nonnulli in ſtudia Græcarum literarum feruntur*, adibit; poſtquam Rector quædam præfatus fuerit, *de utilitate, quæ brevi poſt hac Eccleſiâ, ex literarum Græcarum culturâ, imminere videtur.* Deus OPT. MAX. conaminibus noſtris benedicat: Eidem Athenæum noſtrum, gratioſos Athenæi Patronos, Civitatem hanc inclutam, optimorum ingeniorum nutricem & fortricem, imò totam Boruſſiam, & quid Boruſſiam dico? univerſam Sarmatiam, cum auguſtiſſimo ejus capite AUGUSTO II. ſupplicibus precibus devotè commendamus. Obtinuit jam per Numinis gratiam, Sereniſſimus Rex noſter pleraque, inter decem iſta, quæ L. Metellus ſibi quondam optaſſe legitur: Ex his ò utinam iſtud Majeſtati Regiæ perpetuum ſit, *ut maxima res ejus auſpicio gerantur!* F. P. Dom. XVII. p. Trinit. M. DCC.


















[A small, rectangular, light-colored paper label is affixed to the spine near the top. The text on the label is illegible due to the image quality.]



stituerent, in quibus formaretur in provinciis iuventus,  
 manisque institutis ac legibus imbueretur. Atque hinc Fl.  
 spasianus Imp. luculenta primus Latinis Graecisque Rhetor-  
 us constituit stipendia, quae post eum philosophis quoque  
 Antoninus decrevit. (d) Constantius Chlorus Imp. Eu-  
 nium Rhetorem ex aulae luce in scholae umbram lautissi-  
 o stipendio misit, ut Maenianam scholam, Bagaudico tu-  
 ultu vastatam restauraret. (e) Julianus Imp. apostatae no-  
 ne notabilis, cum aegre vellet rei facere Christianae, Christia-  
 rum occludebat scholas, scriptoresque profanos explicari pro-  
 ebat, ne ex hisce superstitione pagana absurdae impietatis ar-  
 eretur. (f) Neque vero eius rei causa fuit, quod provide-  
 prudens Imperator gliscens iam iniquitatis mysterium, &  
 antum mali Ecclesiae atque reipublicae immineret ex ma-  
 rorum disputationibus, quod peruerse tradit aliquis Oron-  
 . (g) Justinianus Imp. cum magnos in templorum sub-  
 uctiones sumptus conferret, eosque ut colligeret, stipendia  
 rtium Magistris detraheret, factum est, ut scholae  
 querentur, & rusticitas dominaretur, quod Zo-  
 didit Jo. Avrowsmith. (h) Sub idem tempus bar-  
 , qualesdum Romanis erant, Germani omnes,  
 omanorumque prouincias, Hispaniam, Galliam  
 que, inuaserunt & occuparunt, scholasque oppres-  
 gnauit hinc barbaries per longum seculorum de-  
 n alibi, tum in Germania imprimis, donec Frid-  
 V. potius aevo literae renascerentur, & passim con-  
 ademiae, Graecique exules literas Graecas Italiae  
 Lux literarum uti occasionem praebuit desideratae  
 formationi, ita haec illarum auctus & ornamenta  
 Lutherus enim nugae scholasticas non improba-  
 eiecit; Sed Germaniae quoque in oppidis, qui fu-  
 stratus, grauitate cohortatus, scholas ut erige-  
 neque adeo uti de religione, sic de literis etiam me-  
 eque enim dubium habet, quin maiori studio at-  
 u literae ac disciplinae fuerint excultae in scholis at-  
 uis, emendata ubi obtinuit religio, quam Romani  
 ecretis ubi sunt addicti, Galliam si exceperis, quae  
 ficis ceruicem penitus nunquam submitit, & vel  
 e reformationum, quos diu ciues habuit, excitata fuit.  
 haec Quedlensis ciuitas, cum reformationis vrge-  
 duas scholas, alteram in veteri, alteram in noua urbe,  
 prima femina emendatae religionis a Rectore, Leo-  
 ne, sparsa sunt.

in V. Vespas. c. xliii. Casaubon. in h. l. p. 553. e) Panegy. Veter.  
 e est Eumenii pro restaur. scholis p. 55. l. edit. Cellar.

r. Io. Petr. Ludwig Diss. de edicto Iuliani contra philosophos Christia-  
 al. 1702. nostra obi. in Miscell. Lips. To. IV. p. 195. g) Unpartheische  
 ncken von der alten und neuen Gelehrsamkeit / p. 27. h) Tactic.  
 p. 344. i) To. II. Altenb. p. 804. \*) Hallbauer Diss. ecclesia Luth-  
 olitoris literaturae patrona, Jen. 1717.

